



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1558. usque ad annum 1560

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118588

§. 93. Induciæ inter Administratricem, & Protestantes fœderatos initæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66800](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66800)

Sæcul XVI.

§. XCIII.

A C 1559.

Induciæ inter Administratricem, & Protestantes fœderatos initæ.*Thuan. l. 6.*

Itaque Administratrix hanc rerum oportunitatem in rem suam vertere intenta haud obscure perspiciebat, quod hostium suorum vigilantia per nimiam securitatis fiduciam oppido imminueretur, hinc cum suis copiis, quibus Oselius præerat, Edimburgum recta contendit, cumque res ad certamen deducta videretur, ad Hamiltonii Ducis & Jacobi Duglassii Mortonii interventum impetratum, ne eo die manus confererentur.

Quinimo ambo hi Proceres tam vehementer Administratricem sollicitabant, ut ipsa tandem inducias inire decerneret, quæ etiam paulo post initæ a die vigesima quarta Julii usque ad primam Januarii sequentis diem obtinerent sub his conditionibus. I. Nemo cogatur Religione, ac cultu, quem nollet, uti. II. Nullum præsidium militare Edimburgo imponatur; III. Sacerdotibus nullum fiat impedimentum, quo minus vectigalibus suis libere uti, & frui possent. IV. Nullatenus templa demoliri aut in profanum usum convertere cuiquam liceat; V. Postridie illius diei typi, seu signa pro cudenda moneta, necnon

necnon palatium Regium cum omni suppellectili Administratrici restituerentur.

Sæcul. XVI.
A.C. 1559.

Hæc pacta utrique parti oppido erant necessaria; quippe fœderati ad reparandas vires suas opportunum quærebant temporis spatium: Administratrix vero hujus intervalli beneficio armorum suppetias ex Galliis sese interea recepturam sperabat; quapropter pacta in induciis stabilita haud diu servare curabat, moxque Leithæ propugnacula reparare jusserat, ac Protestantibus hanc urbem incassum obsidentibus ipsa hostiles copias, quas Edimburgum se recepisse noverat, cum toto suo exercitu ineunte Mense Novembri insequabatur, illasque inopino aggressa tam prospero successu obruebat, ut fœderati relicto Edimburgo Sterlinum aufugere compellerentur: hæc itaque prima fuit Scotorum tumultuum origo.

§. XCIV.

Diecefes Elisabethæ Reginae jussu lustratæ.

Interim Elisabetha Regina pro summo imperio Religionis negotia in Angliæ Regno assidue moderabatur, ac præ-

Burnet hist. de la ref. l. 3.

primis sacras imagines in Templis asservari præcipiebat, cum illas plurimum ad excitandam pietatem conferre